

tantum deprecantis, sed pronuntiantis tanquam auctoritatem habentis : ergo.

2° *Auctoritate concil. Florent. et Trid.* quæ definierunt formam sacramenti Pœnitentiæ sitam esse in his verbis, *Ego te absolvo a peccatis tuis*, et preces quæ illis laudabiliter adjungi solent, ad essentiam formæ non pertinere. Nonne eo ipso definierunt formam essentialem esse indicativam?

3° *Plures sancti Patres* comparant ministerium sacerdotum novæ Legis pœnitentes absolventium ministerio levitarum leprosos probantium, et inter hos et illos hoc admittunt discrimen, scilicet, quod in nova Lege sacerdotes lepram peccati non tantum probent mundatam, sed mundent; dum levitæ lepram carnis solummodo declararent mundatam: atqui tale non admitteretur discrimen, si forma simpliciter deprecatoria sufficeret.

4° *Ratione theologica.* Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii fuit institutum: sacerdos igitur debet proferre sententiam ut iudex: porro sententiam non proferret ut iudex, si tantum deprecaretur: ergo.

Insuper probavimus supra absolutionem sacerdotis peccata esse remissa declarantis, nudum non esse ministerium, sed actum judicialem: ergo denique, etc.

Verum forma deprecatoria in sono, sed indicativa in sensu, valida est; constat enim propria verba formæ hujus sacramenti a Christo non fuisse determinata: sufficit ergo ut actio ministri absolventis exprimat et verificentur verba Christi, *Quorum remisistis*, etc. Porro actio ministri absolventis per formam deprecatoriam in sono et indicativam in sensu exprimitur. Supponatur, v. g., hæc forma Græcorum, apud *Goar*, *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pastor et agnus qui tollis peccata mundi... relaxa, remitte, condona peccata... a servis tuis istis commissa.* Cum sacerdos prius audierit pœnitentem eique satisfactionem injunxerit tanquam iudex, nonne sensus hujusmodi verborum est: *Remitte, Domine, peccata cui ea remitto, seu, in cujus gratiam ministerium meum exerceo, juxta verba tua Quorum remisistis, etc.?* Ergo.

Unde 1°, licet forma deprecatoria olim adhibita fuerit apud Latinos, *hocque supposito, non concesso*, nihilominus sacramentum erat validum. 2° Etiam si sola forma deprecatoria in sono adhiberetur apud Græcos, validitas sacramenti non periclitaretur; et idcirco Latini talem formam eis nunquam exprobraverunt, nec dubitaverunt illos sacramentum Pœnitentiæ retinere.

Cæterum, falsum est solam formam deprecatoriam in usu esse apud Græcos; *Goar* enim plures describit formas indicativas apud Calabros, Apulos et Siculos usurpari solitas, quas nonnulli Orientales acceptarunt. Arcudius, ipse Græcus, probat, in opere cui titulus: *Concordia Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis in sacramentorum administratione*, l. 4, cap. 2, eas formas quæ primo aspectu deprecatoriæ videntur vere esse absolutas quoad sensum, et initio capitis sapienter observat « nullam unquam fuisse » controversiam de hac re inter Græcos et Latinos, ac » proinde non esse verisimile antiquam formam hujus » sacramenti ex odio alicujus vel malitia mutata ali- » quando fuisse, et incredibile dictu videri Græcorum » ecclesiam nunquam habuisse veram formam hujus » sacramenti. »

CAPUT SEPTIMUM.

DE MINISTRO SACRAMENTI PœNITENTIÆ.

Tres hujus capituli erunt articuli, quorum primus erit de caractere in ministro sacramenti Pœnitentiæ requisito; secundus, de jurisdictione ipsi necessaria; et tertius, de ejus officiis seu obligationibus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CHARACTERE IN MINISTRO SACRAMENTI PœNITENTIÆ REQUISITO.

Valdenses existimabant bonum laicum, non vero malum sacerdotem, habere facultatem absolvendi. Inter ar-

ticulos *Wiclefi* in concilio Constantiensi damnatos, iste reperitur, *laicum, si vir frugi fuerit, clouium potestatem a Christo accepisse*. Novatores in concilio Tridentino damnati docebant, referente *Paluicini*, lib. 12, cap. 10, sacerdotibus non habere potestatem ligandi et solvendi, nisi » Spiritus sancti gratia et charitate sint præditi; et non » eos solos esse ministros absolutionis, sed omnibus et » singulis Christianis esse dictum: *Quodcumque solveritis*, » etc. Soli tamen ministri apud ipsos sententiam reconciliationis pronuntiant.

P. Morinus arbitratur atque contendit, lib. 8, cap. 3, diaconis concessum fuisse apud Latinos confessiones audire et a peccatis absolvere in casu necessitatis, id est, in mortis periculo et deficiente sacerdote.

PROPOSITIO.

Solus sacerdos minister est sacramenti Pœnitentiæ.

Prob. Illa propositio est de fide, constat Scriptura sacra et SS. Patribus.

1° *Est de fide*, ut pote definita a conc. Trid., sess. 14, can. 10, his verbis: « Si quis dixerit sacerdotes qui in » peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi » non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros » absolutionis, sed omnibus Christi fidelibus esse dictum: » *Quodcumque ligaveritis*.... anathema sit. » Idem jam tradiderant concilium Florentinum, in Decreto ad Armenos, conc. Const. adversus *Wiclefum*, et conc. Later. IV, præcipiendo ut omnes fideles semel in anno peccata sua proprio sacerdoti confiterentur. Hæc verba, *proprio sacerdoti*, supponunt confessionem soli sacerdoti fieri posse. Ergo 1°.

2° *Constat Scriptura sacra*. Hi soli habent potestatem remittendi peccata quibus Christus, instituendo sacramentum Pœnitentiæ, dixit: *Quorum remisistis*.... Atqui Christus hæc verba, non ad laicos, sed ad solos Apostolos proindeque ad eorum successores direxit. Porro soli sacerdotes in eo Apostolis successerunt, et hanc potestatem

obtinuerunt, ut constat ex unanimi traditione quæ sic verba Christi intellexit. Ergo 2°.

3° *Ex SS. Patribus*. Omnes enim sancti Patres quos pluries citavimus, vel expresse dixerunt, vel supposuerunt solos sacerdotes sacramenti Pœnitentiæ esse ministros: v. g., *S. Cyprianus*, dum remissio facta per sacerdotes; *S. Ambrosius*, qui relaxandi licentiam sacerdotibus suis concessit; *S. Chrysostomus*, qui dignitatem sacerdotum, ex potestate remittendi peccati verborum Christi, relevat. Ergo 3°. Aliunde, etc. insuper.... Ergo.

De fide est ergo 1° sacerdotes etiam malos sacramenti Pœnitentiæ esse ministros; 2° nunquam laicos, quantumvis bonos, et in quacumque necessitate, sacramentum istud administrare posse. Verum opinio *P. Morini* definitioni Conc. Trid. non directe adversatur, ac proinde anathemate non percutitur, licet manifeste sit falsa et hæresi proxima; cum traditione enim et cum his Conc. Trid. verbis, *aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis*, conciliari nequit.

Solvuntur objectiones.

Obj. Hæc verba, *Euntes.... baptizantes eos in nomine Patris*.... ad solos Apostolos directa sunt: atqui non soli Apostolorum successores, sed laici ipsæque mulieres valide baptizare possunt: ergo *a pari*, etc.

R. Nego conseq. et paritatem. 1° Quia ipsa Scriptura subministrat exempla Baptismi a diacono, scilicet a *Philippo* collati, Act. Apost. VIII, 12 et 38; 2° quia Ecclesia semper credidit et docuit Baptismum a laicis et etiam a mulieribus collatum, esse validum; nihil vero tale proferitur ubi de Pœnitentia agitur: insuper conveniens erat ut Baptismus ad salutem necessarius necessitate mediæ, non a solis sacerdotibus administrari posset; non ita necessaria est Pœnitentia. Ergo.

Inst. S. Jacob., v, 16: *Confitemini alterutrum peccata vestra et orate pro invicem ut salvemini*: ergo ipsi laici confessionem excipere possunt.

R. Dist. conseq. Si hæc verba de confessione non sacra-

mentali intelligantur, *conc.*; si de confessione sacramentali intelligenda sint, *nego conseq.* Etenim quidam dicunt B. Jacobum per verba *confitemini alterutrum peccata vestra*, solam intelligere confessionem quæ fit humilitatis causa, vel ad petenda consilia: tunc certum est ipsos laicos hujusmodi confessionem aliquando excipere posse. Si vero, ut alii volunt, de confessione sacramentali ibi Apostolus loquatur, per verbum *alterutrum*, non quilibet intelligendi sunt homines, sed soli sacerdotes, siquidem invictis argumentis constat solos sacerdotes hujus sacramenti esse ministros. Ergo.

Obj. 2º. S. Cyprianus dicit, Ep. 12, loquens de homine in periculo mortis constituto: « Si presbyter reperi- tus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possunt, ut manu ejus in Pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace. » Ergo saltem et diaconi sunt ministri hujus sacramenti ad sensum P. Morini.

R. Nego conseq. Nam, juxta doctorum interpretationem quæ perpetua traditione innititur, de sacramentali reconciliatione ibi non agitur, sed de absolutione ab excommunicatione in lapsos pronuntiata, vel probabilius a pœnitentiis canonicis quibus lapsi subiciebantur: atqui non repugnat diaconos olim fuisse deputatos ad tollendas hujusmodi pœnas ecclesiasticas, præsertim in casu necessitatis, ut exprimit *S. Cyprianus*. Si autem Ecclesia persuasum habuisset eos in casu necessitatis a peccatis sacramentaliter absolvere posse, cur ministerium istud decursu temporum ipsis non credidisset et etiam nunc non crederet, sed potius crudeliter sineret peccatores, deficiente sacerdote, in præsentia diaconi sine reconciliationis sacramento decedere? Nonne talis consuetudo demonstrat non magis diaconos quam laicos sacramenti Pœnitentiæ esse ministros? Ergo.

Inferendum est, ex dictis in præsentis articulo, absolutiones a confessario non valide ordinato, sive sit impostor, sive bona fide se credat sacerdotem, prorsus esse nullas: sola igitur contritione perfecta peccator in eo casu justificari potest.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE JURISDICTIONE MINISTRO SACRAMENTI PœNITENTIÆ NECESSARIA.

Jurisdictio in genere est potestas regendi subditos, ut explicatur in Tractatu *de Ordine*. Potest esse civilis vel ecclesiastica, pro foro externo vel pro foro interno. Hic agitur de sola jurisdictione pro foro interno, non secundum totam suam extensionem, sed tantum in ordine ad absolutionem sacramentalem.

Definitur potestas quam habet sacerdos alterum in sacramento Pœnitentiæ absolvendi et obligandi tanquam subditum.

Duplex distinguitur, ordinaria scilicet et delegata. Ordinaria ea est quam quis habet ratione sui officii, cui jure communi annexa est cura animarum. Talis est jurisdictione quam habent, ratione suorum officiorum, Papa, episcopus, parochus.

Jurisdictio delegata illa dicitur quam habet sacerdos ex alterius commissione, ut, apud nos, vicarii, presbyteri habituarii, missionarii, eleemosynarii hospitiorum, capellani monasteriorum, etc.

Hic septem nobis inquirenda sunt, videlicet 1º an jurisdictione sit necessaria ad validitatem absolutionis; 2º quinam habeant jurisdictionem ordinariam; 3º quinam habeant delegatam; 4º an qui ex errore communi pro ordinariis vel delegatis habentur, valide absolvere possint; 5º quid sit approbatio et an necessaria; 6º quinam a peccatis reservatis absolvere possint; 7º quinam habeant jurisdictionem in articulo mortis.

§ I. — An jurisdictione sit necessaria ad sacramentum Pœnitentiæ valide administrandum.

PROPOSITIO.

Præter ordinis potestatem, necessaria est jurisdictione in sacerdote ut valide absolvat.

Prob. 1º auctoritate conciliorum. Conc. Lat. IV, can. 21, hæc habet: « Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa